

W f
645





n. 66, 21.

W
645

ORATIUNCULA
GRATULATORIA

In Natalem vicesimum

ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,

D N. JOHANNIS
PHILIPPI, DUCIS
SAXONIÆ, JULIÆ, CLI-
VIÆ, ET BERGÆ, LANDGRAVII
THURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ,
COMITIS MARCHÆ ET RAVENSBUR-
GI, DOMINI RAVENSTEI-
NII, &c.

g. Altkub. vid.
Hüb. T. 159.
Fil. Frid. Wilh.
1.

Scripta & recitata

IN ACADEMIA JENENSI

DIE XXV. JANUARI

A. O. R. ∞ DC. XVI.

A

WOLFGANGO HEIDERO M.

PROFESS. PUBL. ETHICES AC

Politices, debitæ subjectionis ergò.

J E N Æ

Typis JOHANNIS WEIDNERI.







ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC
DOMINO,

DN. JOHANNI PHILIPPO,
DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, ET
BERGÆ, LANDGRAVIO THURINGIÆ,
Marchioni Misniæ, Comiti Marchæ, & Ravens-
burgi, Domino Ravensteinii, Domino suo
Clementissimo.



ILLUSTRIS-
SIME
PRINCEPS, DOMINE
Clementissime; si quid in-
terdum mihi scribendum,
id & lubens ac volens in lu-
cem dare soleo, nec minus
tamen cunctabundus & in-
vitus, quod cum dico, mihi
non contradico, nec eo-
dem ex ore calidum, & fri-
gidum exhalo. Lubens ac

volens: si opellas meas, qualescunque sint, aliis vel ho-
nori, vel usui futuras esse sentiam. Bonus enim vir com-
mune bonum est, & prodesse cupit omnibus, nocere
nemini: tantum abest, ut ἀκόλαστον γλῶσσαν αἰσχίστην νόσον,
quod Euripides inquit in Oreste, habeat. Cunctabun-
dus & invitus, propter sinistra plurimorum judicia, qui
aliena scripta sibi censenda sumunt, quæ vel non intel-

*Effrenam
linguam
turpissimam
morbum.*

Obidius 13.
Meta-
morph.

figunt, vel aliorum trahunt, & quilibet è quolibet elicere artis esse ducunt. At verò Princeps Illustrissime, in hac oratiunculâ, quam in T. C. natalem, & illum quidem numero vicesimum habui, nihil est omnino quod metuere, nihil quod vereri, nihil quod suscipari saltem possim: nisi qui fortasse planè similes illius sint animantis, in quod Hecubam conversam esse Poëtæ fabulantur. Quis enim bonorum, aut etiam improborum esse poterit, qui aetati tuæ fausta & felicia non precetur omnia, qui non miretur indolem, non exsculetur morum humanitatem, non spem de & gubernatione, & felicitate tuâ optimam concipiat? Hanc igitur declamatiunculam Illustrissime Princeps, in tui honorem nominis & scripsi lubens, & cupidè recitavi, & typis edi vehementer lætatus sum, ut esset quasi auro-ra (nec enim Luciferum audeo dicere) quæ solem tuæ gloriæ antecederet, & ejus nunciaret ortum, quem brevi omnibus bonis auspiciatissimum, & in hoc velut equo Trojano, mihi quoque salutarem, & spei, quam alo, minimè disparem fore confido. Eandem T. C. do, dico, dedico, inscribo, mitto, defero, consecro (sed nimium Asiaticus sum) & ad Clementiæ tuæ aram suspendo: ut meæ tuam erga Clementiam subjectionis sit indicium, observantiæ pignus, obedientiæ monumentum, fidei perpetuæ signum certissimum. Simul verò summis à T. Cels. precibus contendo: ut hanc ipsam sub auctoritatis tuæ umbone tuto latere finas, quod si fiat, hominum infestorum & fallere oculos, & conatus eludere, & ictus omnes exigere citra negotium poterit. Ælianus auctor est ranam Egyptiam, si incidat in varum piscem Nili alumnum, qui hunc bellatorem Homericum, & Aristophanis Cantorem avidè solet devorare,

conti-

lib. 1. V. H.

continuo scapum arundinis premordere, & transver-
sum ore tenere mordicus, nec remittere provirili parte,
donec hostis, qui inhærescentem arundini deglutire
non potest, illam vel invitus dimittat. Idem si Scho-
lastici facere conemur, quis est, qui id nobis vitio ver-
tere possit. Sub finem, Princeps Illustrissime, ea tibi pre-
cor omnia, quæ honori DEO, Reipublicæ salutis, tibi
gloriæ sempiternæ, & toti familiæ ornamento perpetuo
futura sunt. JENÆ postrid: Calend: Maij A. O. R.
M. DC. XVI.

T. C.

Subjectis.

Wolfgangus Heider M.

A. P. LXIV. J. M. A. O. R. M. DC. XVI.

Wolfgangus Heider M.

quolibet
lustriffi-
m, & il-
st omni-
od fasp-
les illius
Poëtæ
impro-
ia non,
on exo-
guber-
Hanc
s, in tui
recitavi,
asi auro-
lem tuæ
quem
oc velut
quam
C. do,
ro (sed
aram fu-
edionis
e monu-
Simul
anc ipsa
s, quod si
conatus
poterit.
n varum
Homeri-
evorare,
conti-



Programma Publicum.

BENEVOLO
LECTORI

S. P.

CRastina lux, quæ Dive tibi sacra Paulle serenâ
Fronte novi terris bona tempora nunciat anni,
Si novies æris solitos iteraverit ictus:

Te quoq; , te dicam, lætusque PHILIPPE JOHANNES
Natalem celebrabo tuum, mitissime PRINCEPS,
Debita qui pariter nostris facis ocia Musis,
Et Pleissæ vitreas arbuscula surgis ad undas
Læta secuturis factura nepotibus umbram,
Antevenisque tuos multis virtutibus annos,
Vos ego, vos rogitò, venerorque columina nostræ,
Lumina sive Scholæ dici mavultis, ut unâ
Læto verba die gratantia dicere mecum,
Et longæ placeat mollissima tempora vitæ
Egregio spondere Duci. Vos, oro, juventam,
Litterulis quæ culta bonis, cui pectora virtus
Perpetuis fodicat stimulis, quam verba disertis
Fundere blanda juvat linguis, ut adesse frequentes,
Et præbere meis libeat sermonibus aures.
Cantores memorant, quibus est nihil artis, eâdem
Semper oberrantes chordâ desistere nunquam,
Nec servare modum: quid, multa loquentia si me
His reddat similem? veniam date, quæso: loquendi
Hoc fuerit tempus: fortasse silentia quondam
Parca senis Samij faciet mihi lingua: tacendi
Dicendi que modum noscit Dea calva, Valet.

P. P. XXIV. Jan. A. O. R. M. D. C. XVI.

Wolfgangus Heider M.

I N N A T A L E M

*Illustrissimi & Celsissimi Principis
ac Domini,*

D N. J O H A N N I S - P H I L I P P I,
D U C I S S A X O N I Æ, J U L I Æ, C L I V I Æ, E T
B e r g æ, L a n d g r a v I T h u r i n g i æ, M a r c h i o n i s M i s n i æ,
C o m i t i s M a r c h i æ & R a v e n s p u r g i, D o m i n i R a v e n s t e i n I,
D o m i n i m e i C l e m e n t i s s i m i, q u i e r a t x x v. J a n :

Anni M. D. C. XVI.

NAscere, chare puer, dixit Lucina. Quod olim
optat, id in cunis provida mater habet.
Cresce, petite puer dixit Lucina. Quod olim
optat, id in gremio Misnidos ora tenet.
Vive vale juvenis, dixit Lucina. Quod olim
optat, id in folio patria regna vident.
Qui natus, crescit, vivitque valetque, J E H O V A
auspice, nec coeptum fors remoratur iter.
Omnia fert ætas, animum quoque. Magna supersunt
ad quæ consiliis est opus atque animis.
Consiliumque animumque tuum quæ magna reposcunt,
J A N E P H I L I P P E, sinu, quod petiere, fovent.
Nil restat. Patrios cape felicissimus auctor
Imperii fasces, & moderare diu.
Se Paci junget blandis Concordia labris
& Pietas Fidei basia figet ovans.
Se campo plenis tellus diffundet aristis,
felicisque Lares viset ubique Salus.
S C I L I C E T I N C U N C T O S P R U D E N T E A P R I N C I P E C I V E S
P R I V A T A S Q V E C A D U N T P U B L I C A F A T A D O M O S.
P u b l i c a f a t a c a d a n t v e n i a n t q u e f a v e n t i b u s a s t r i s.
Q V O S A M A T, H O S S A N O P R I N C I P E J O V A B E A T.

Subjectissimus & Devotiss. f.

M. Thomas Sagittarius Poëta Cæs.
& Professor Publicus.

IN NATALIS



ORATIO.

Exordium.

HIC ET OMNE TEM-
pus, Auditores Magnifici,
Reverendi, Amplissimi, Clarif-
simi & Lectissimi, licet inquam
omne tempus, quod rerum dura-
tio præterita, præsens, & futura, quam qui-
dem motus quilibet, sed ille tamen, qui corpo-
rum cælestium propter æquabilitatem com-
modissime numerat & metitur, valde bonum
sit, quod universim de rebus creatis sacra pro-
nunciant, & à DEO, qui solus æternus
μηδεμίαν δεχῆν, μηδὲν ἔχων τετέλει & defluerit: tamen
nostri quondam majores, quam diu vetustatis
memoriam respicere possumus ultimam,
quosdam dierum auspiciatos & secundos, fau-
stos & felices, albos & candidos, quos ita la-
pillis ejusdem coloris à nigellis Cretenses &
Thraces distinguere solebant, habuere: videli-
cet eos, in quibus aliquid rei accidisset letioris,

A

&

Sabel.lib.
6. cap. 1.
Gellius
li. 5. c. 17.
Cælius
li. 14 c. 9.

O R A T I O.

Alexand.
ab Alex.
l. 4. c. 20.
& lib. 2.
cap. 22.
Plut. in
Lucullo

*Et singularia DEI beneficia cum in Ecclesiam
& Rempubicam, tum privatas in familias
collocata fuissent: quosdam infelices & infau-
stos, atros & funestos, inominales & Ægy-
ptios, Græcis ^{ἄνοφεγδας} & nefandos, quibus
plurimum in has ipsas, quas ita vocamus,
hierarchias mali & supernè à DEO iudice,
& infernè à Diabolo carnifice dimanasset: ut
& illi patri Sospitatori pro suis erga nos bene-
ficiis gratias agerent, & ea, quæ olim evenis-
sent mala, supplices deprecarentur, & absti-
nerent ab iis, quæ hoc ipso tempore quondam
minus optatè cecidissent, ne temerè fortunam,
quæ semel fuerat noverca, denuò periclitari
viderentur.*

Genes. 2.
Exod. 20.
Exod. 12.
& 13.
Levit. 23.
Deut. 12.
Levit. 23.

*Et hæc quidem consuetudo ipsum DEUM
primitus habuit auctorem, qui in memoriam
mundi spacio sex dierum è nihilo facti diem
Sabbathi seu quietis suæ celebrari voluit. Qui
in recordationem educationis populi Israelitici
ex Ægypto festum Paschatos & azymorum
agi iussit. Qui in promulgatæ legis commemo-
ratio-*

rationem Pentecosten instituit. Qui hoc eodem fine, quod inter clangores tubarum lex illa DEI esset perlata, seu quod aries cornibus hærens Isaacum jamjam periturum liberasset, tubarum quoque coli festum præcepit. Qui denique solennes obire ferias tabernaculorum imperavit, ut esset monumentum illius temporis, quo Israelita sub tentoriis ac pellibus, sicut & sub arborum & frondium umbraculis in Arabia solitudinibus per annos quadraginta vixerant. Et hi quidem dies festi, ut nihil jam de anno Sabbathario & Jubileo dicamus, ipsius DEI instituta sunt, quem omnes νομοθέτην & sapientissimum & æquissimum agnoscimus. Interim verò non improbanda veterum Israelitarum pietas, qui præter diem festum, quo Jephthæ filiam plangebant, & illum quo sacer ignis post exilium Babylonicum repertus est, & tertium quo Juditha Holofernem amore decepit & ferro perdidit, quamvis hic libellus comediæ potius, quàm historia similis videatur, & quartum insuper,

A 2

quo

Num. 18.
Deut. 16.
Levit. 23.
Sigo. l. 3.
c. 11. de
republ.
Hebræor

Levit. 23.
Num. 29.
Deut. 16.

Exodi 23.
& 34.
Levit. 25.
Deut. 15.
Num. 36.
Sig. lib. 3.
de Repu.
Hebræor
c. 14 & 15.
Judic. 11.
2. Macc. 1.

Judith. 16
Sigon. l. 3.
de Rep.
Hebræ.
cap. 17.

Lib. Esth.
cap. 9.
2. Mac. 15.

3. Reg. 8.
lib. 1. Esd.
cap. 6.
1. Mac. 4.
Hospin.
de fest.
Jud. c. 13

quo Esther regina Hamani consilia intervertit, & præterea quintum, quo Judei victoriâ de Nicanore potiti sunt: præter hos inquam dies (cæteros enim, qui secunda quasi nota non attingimus) encenia seu templi dedicationes numero quatuor festivas & solennes memoria consecrarunt. Primam Salomonis, alteram Zorobabelis, & huic proximam Judæ Machabæi, & ultimam deniq; Herodis Regis, quamvis sint, qui non omnes feriarum loco habitas fuisse contendunt, In Ecclesiâ verò novi Testamenti dierum festorum tanta cœpit esse multitudo, ut ferè secundam anni partem occuparent, & operis necessariis magno cum Laicorum, quos ita per ignominiam vocabant, gemitu, & sacrificulorum quæstu subtraherent.

Neq; minus tamen certos dies atros & funestos ab his letioribus & tempore, & celebrationis more veteres arbitrato suo dispararunt. Judei quondam diem decimum Augusti lugubrem & feralem censuerunt, quod hoc ipso
templum

O R A T I O.

templum & à Salomone conditum, & ædifi-
catum à Zorobabele, quod Herodes Idumæus
multis auxerat nominibus, flammis traditum
conflagrasset, & in cineres, è quibus excitari
denuo nunquam potuit, consedisset. Neque
desunt, qui Israelitas & Judæos à Regibus As-
syriorum in vastas Scythiæ solitudines tradu-
ctos existimant. Et ab his quidem propagatos
Tartaros, quorum hordæ seu congregationes
magis aquilonares Dan, Zabulon, & Naph-
thali dicantur, qui postmodum illa terrarum
immensa spacia ab extremo oriente ad usque
mare Livonicum ferè compleverint, & omnem
propè terrarum orbem armis victricibus per-
domuerint. In ipsa quoque Livonia reliquam
esse plebeculam rusticam perhibent, & pau-
perculam, quam & ipsam à Curonibus &
Estonibus distinctam esse, & insuper diver-
sam habere linguam ferunt, quæ si ruri vage-
tur suos inter labores & miserias has subinde
voces repetat: Hieru Hierumascalon: quas
per vetustæ cujusdam neniæ & querimonie

Josephus
lib. 7. c. 9.
& 10. bell.
Jud.



Philipp.
Morn. de
verit. rel.
Christ.
Leoncla.
in Pand.
hist. Turc
num. 22.
Cælius
l. 17. c. 30.
Diod. l. 11.
Plut. in
Camil.
Gellius
li. 5. c. 17.
Macrob.
lib. 1. Sa-
tur. c. 16.
Alex. ab
Alex. lib.
4. c. 20.
Idem
ibidem.

reliquias esse putant, quibus suum exilium olim deplorarint Israelitæ, quos ex felicissimis Hierosolyma campis, & Damasci paradisis in has Scythia regiones incultas & asperas hostis victor misisset. Hæc Philippus Mornæus & Leonclavius sempiternum illud decus Nobilitatis Angrivariorum. Easdem ob causas Persæ tertiam & sextam mensis Boëdromionis tanquam lugubres & infames oderunt, quod his diebus in pugna Marathoniâ, & ad Plateas, & ad Mycalenâ Græcis victi succubissent. Romanis dies, qui erant postridiæ Calendas, Nonas & Idus cujusq; mensis, erant atrii, tristes & funerei, & neq; præliares, neq; puri, neq; comitiales esse poterant. Et tum quidem jussu Pontificum à bellis inferendis, à reipublica curâ, & à rebus divinis abstinebant: quod his ipsis magnas sæpe clades accipissent. Idus Martias, quo die Julius Cæsar interfectus est, parricidium nominabant.

Et apud Italos simul & Græcos vetutissima fuit consuetudo diebus emortualibus parentum

rentum

O R A T I O.

rentum, aut aliorum, qui vel sanguine, vel
amicitia nobis juncti, lugere & lessum habere,
quem quidem suis comitibus indicit Æneas
apud Virgil. lib. v. Æneid.

Dardanidæ magni, genus altò à sanguine Divûm:
Annus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo reliquias diviniq̃ue ossa parentis
Condidimus tumulo, moestasq̃ue sacravimus aras.
Jamq̃ue dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum
Semper honoratum, sic Diû voluistis, habebo.
Hunc ego Getulis agerem si Sirtibus exul,
Argolicoq̃ue mari deprensus, & urbe Mycænæ,
Annua vota tamen, solennesq̃ue ordine pompas
Exequerer, strueremq̃ue suis altaria donis.
Ergo agite, & cuncti la tum celeberrimis honorem,
Poscamus, ventos, utque hæc mea sacra quotannis
Urbe velit positâ templis sibi ferre dicatis.

*Verum omittemus ea, quæ tristiora sunt,
& ad illa quæ latiora revertemur.*

*Persis Magophonia erat sacra, quem
diem toti regno cæsis Magis, qui illud per
fraudem invaserant, auspiciatissimû illuxisse
putabant. Cyrus diem, quo Scythas & Sacas
magnâ clade affligerat, tanti faciebat, ut il-
lum regias inter epulas Sacam appellaret.*

Inpri-

Herodot.
lib. 3.
Alexand.
ab Alex.
l. 4. c. 20.

O R A T I O

In primis verò quondam natales magnorum
 virorum, qui bene de republica essent meriti,
 in maximo habebant precio, & certis quibus-
 dam solennitatibus feriari solebant, quod pul-
 te, fritillo, mero, libis, floribus, & thure, sed
 absq; victimis, letis ab hominibus ac lubenti-
 bus fiebat. Tum enim effundere sanguinem,
 & pecudes mactare mali portenti & fædi
 auspicii, cum hilaritatis & læticia plena esse
 deberent omnia, videbatur.

In Ecclesia D E I circa brumam veteri in-
 stituto Domini & Salvatoris nostri Christi,
 qui propter nos homines, & propter nostram
 salutem descendit de cælo, & homo factus est,
 natalem tam augustum & sacrum habemus,
 quam infamis ille fuit dies & feralis, quo pri-
 mi parentes mandati divini immemores vo-
 luptatem gula breviculam sempiterna salutis
 incepto stultissimo prætulerunt.

Alexand.
 ab Alex.
 l. 4. c. 20

Xerxes olim diem natalitium imperii sui,
 quo rex dictus fuerat, singulis annis quasi ve-
 neratus est, & ornatus diademate, gaudioq;
 delibu-

O R A T I O.

delibatus cœnam satrapis dedit suis, cui Ti-
tani nomen fecerat. Timoleontis natalem
Syracusani festum agebant, quod & hoc die
in lucem esset editus, & precipuas sibi victo-
rias & patriæ contra hostes peperisset: quod
idem de Carolo Quinto sunt, qui referunt.

Alexand.
ab Alex.
l. 4. c. 30.

Roma quotannis Idibus Augusti servi
& mancipia ferias agitabant, in honorem Ser-
vij Tullij, qui hoc die ex ancillâ natus erat,
& postmodum ex hac infimâ conditione ad re-
gni fastigium elatus. Eodem die caput fœmel-
lis lavare felix & faustum putabatur, & do-
na misitabant invicem, & suas ostentabant
divitias, & servi suis cum dominis equali
jure colludebant. Apud eosdem Romanos dies
& ludi erant natalitij, qui clarorum in viro-
rum natalibus edebantur, quibus de

Alexand.
ab Alex.
ibid.

Ælius Spartianus, Lampridi-
us, Capitolinus & alij con-
sulendi.

B Pro-

Propositio.

HÆc itaq; cum prudentissima vetu-
 stati probata fuerint: quid ni nobis
 liceat eorum Principum, in quorum
 vita cardo salutis publicæ vertitur, natales
 non superstitiosis quidem sacrificiis, sed pre-
 cibus religiosis celebrare, & cum DEO agere
 gratias pro iis, quæ data nobis, beneficiis, tum
 pro illis, quorum opus deinceps, vota facere.

Ex his jam non sum animi dubius, quin fa-
 cile colligere possitis auditores optimi, & effi-
 cere, quam justis de causis Illustrissimi Prin-
 cipis ac Domini, DN. JOHANNIS
 PHILIPPI, Ducis Saxonix, Julix, Clivix,
 & Bergæ, Landgravij Thuringix, Marchi-
 onis Misnix, Comitis Marchæ & Raven-
 burgi, Domini Ravensteinij, Domini no-
 stri clementissimi, partis Altenburgensis,
 Natalem, & illum quidem numero vicesi-
 mum, qui in hunc ipsum incidit diem, festum
 & solennem obire debeamus & hilares ac lu-
 tubentes transigere. Quam-

O R A T I O.

Quamvis enim hoc honoris olim nostri
 majores iis potissimum exhiberent Principi-
 bus, qui benè jam rem gessissent, neque saltem
 δι' ἐλπίδα, quod de beatitudine puerorum inquit
 Aristoteles, boni rerum publicarum essent mo-
 deratores: tamen & illis deferri jure potest,
 quos non speramus tantum, sed etiam certò
 jam prospicimus olim patriæ parentes, & bo-
 norum portus ac perfugia, sed improborum
 scopulos & naufragia futuros.

1. Eth. c. 9.

Dum igitur Principis Illustrissimi nata-
 lem hanc oratiunculà, quæ minimè omnium
 operosa, honestare, & auspiciorem reddere
 conor, à vobis peto auditores, ut mecum hoc
 bono die bona dicatis verba, & approbatione
 vestrà mea prosequi vota ne dubitetis.

Gratiarum actio ad DEUM
 cum ratione duplici.

Quod itaq; pietati primò cura in rebus
 est omnibus, ab illo jure meritoq; pri-
 mordia capimus, & DEO qui pro-

B 2

pter

O R A T I O.

pter beneficia optimus, propter vim maxi-
 mus, immortales agimus gratias, quod tot
 jam retrò seculis Augustissimam familiam
 Ducum Saxonie, quæ plurimos & Imperato-
 res summos, & Principes cum pace tum bello
 nobilissimos edidit, & opibus auxerit, & ho-
 noribus cumularit, & auctoritate munierit,
 & quod primum inter omnia DE I beneficia,
 Christo in verbi sui ministerio renascenti ho-
 spitium liberalissimum præbere voluerit, licet
 totus infremuerit orbis, & ignem utraque
 Hesperia, quarum altera alterius Domina si-
 mul & serua, spirare cœperit. Præcipuè verò
 quod hodierno die, qui diuo Paulo sacer est,
 & serenitate suâ bona nunciare tempora ubiq;
 locorum non de nihilo creditur, feliciter nasci
 fecerit, & hanc aspicere lucem Illustrissimum
 Principem ac Dn. Dn. JOHANNEM
 PHILIPPUM, Ducem Saxonie, Julie,
 Clivie, & Bergæ &c. Dominum & nostrum
 & hujus Academia clementissimum, cujus in
 honorem hæc instituta panegyris, quod primū
 est,

est: Et quod talem dederit Principem, qualem omnes Et optamus Et certo futurum esse scimus, quod secundum.

Rationis prioris explicatio.

Hic verò non sum animi dubius, auditores, quin hominibus ἀδεαφότοις & ἀεασιλεύοις, uti vocantur in Politicis, qui unius imperio non assueverunt, mirum hoc videatur, Et fermè ridiculū, tantoperè gratias haberi Deo ob natū Principem. Quasi non multi singulis annis, quid annos dico? singulis mensibus, quid menses? singulis diebus, si animo Et cogitatione per orbis saltem Christiani partes ire libeat, nascantur?

Ego v. maximum hoc esse Dei beneficium Et sentio, Et dicere non vereor, si paternis in aulis parvuli Aeneas lusitent, Et si in Imperiis Et regnis liberi parentibus succedant suis, Et si diutius eadem familia iisdem regionibus dominantur.

Virgil. 4.
Æneid.

B 3

Sunt

Sunt quidem Politicorum non pauculi, qui electionem potiore esse dicunt, & hoc pacto Principes ajunt optimos, & rerum peritissimos haberi posse: cum successio frequenter stupidos & degeneres nobis obtrudat, qui per alios ipsi tanquam *κῶφα πρὸς ὄψιν*, & Tragediarum *δορυφορήματα* gerere omnia cogantur. Neque facile decipi eligentes, cum vera virtus in occulto esse non possit, sed quod ait Florus lib. 1. c. 3. liberio rem in auram se exerat, & nisi invidia nebula obfuscavit hunc solem, radios suos longè lateq; mittat.

Quin & minus servile videri, Principem quem libeat deligere, quam nascentem, qualiscunq; sit, è sinu matris accipere.

Minus periclitari reipublicæ libertatem, minus sæviri in subditos, minus exactio num civibus incumbere. Moderatius enim illi se gerunt Principes, qui semper audire sibi videntur legem illam convivalem Græcorum, *ἢ πῖθι, ἢ ἀπιθι, αὐτὸν βίβει, αὐτὸν ἀβίβει*: rem aut bene gerito publicam, aut parvas ad Numæ Cures

Cicer. 5.
Tuscul.
Virg. 6.
Æneid.

&

O R A T I O.

Et pauperem ad terram unde digressus es, redito.

Neq; dubium esse ferunt, per electionem eos plerumque reperiri, qui patienter ferunt certis se frenari legibus, cum olim suis Et ipsi Dominis subesse didicerint. Verissimum enim illud Ciceronis, qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est, Et qui modeste parret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse. Illi verò qui hereditaria successione principatum adeunt, parum abest, quin idem sentiant, quod Antonini noverca, qua ad privignum, si libet licet: an nescis te Imperatorem esse, Et leges dare, non accipere?

Plus quoq; Principibus Et subditis benevolentia putant intercedere, si liberis horum suffragiis ad imperium illi subuehantur. Eligentes amare Principes, quibus de sperant optimè, Et iudiciis tam honorificis praeclarè merentur, quam beneficentia naturam esse multis ostendit Aristoteles. Principem eligentes diligere, cum hoc ad honoris fastigium illorum

libr. 3. de
L.L.

Sextus
Aurel. &
Ælius
Spartia-
nus,

li. 9. Eth.
cap. 7.

O R A T I O.

illorum beneficio ermerferit. Hic verò mutuus amor verè clavus est trabalis, qui totam Imperij molem continet, & vinculum plusquam adamantinum, quod nulla vis rumpere potest, nulla fraus discindere.

Quod si Principes degenerare velint, & instar luporum suos in greges, quos pascere debebant & defendere, grassari, eos, qui electione designati submovere multò esse facilius, & de consulibus denuò, quod habet Poëta Rhetores facere, quam illos, qui non tantum auctoritate potentioris familia, sed etiam successionis jure nituntur. In hac ipsà queruntur crebra esse fratrum dissidia, contentiones de imperio, bella intestina, parricidia, distractiones provinciarum, & tandem πανολεθεσαν & familiarum & ipsius reipublicæ. Et hæc quidem successionis incommoda Caroli Magni posteritatem omnibus everterunt fortunis, & tandè funditus deleverunt. Non malè Poëta:

Juvenal.
Satyr. 7.

Luca n.
lib. 1.

----- omnisque potestas
Impatiens consortis erit, nec gentibus ullis

Credite,

O R A T I O.

Credite, nec longè factorum exempla petantur :
 Fraternali primi maduerunt sanguine muri,

*Et fratrum iras esse acerbissimas jam dudum
 usu tritum cœpit esse proverbium.*

Arist. l. 7.
 Eth. c. 7.

*Nec insolens hoc esse dicunt, & infre-
 quens, Principem regni heredem aut impube-
 rem esse, aut furiosum: & tum quidem mo-
 tus oriri gravissimos de tutelâ & administra-
 tione reipublicæ, quam ad se magnates omnes
 non sine turbis & tumultibus gravissimis tra-
 here conantur. Sensit hoc incommodi Gallia
 sub Francisco & Carolo IX. regibus ferè pue-
 ris, & prope suâ cum internecione sensit.*

Com:
 de statu
 relig. &
 reipubl.
 in Gallia
 sub his
 regibus.
 Schnafn:
 Aventin.
 Cuspin.

*Nec enim dicere jam libet, quodnam mare
 malorum sub Henrico IV. Imperatore, cum
 prioribus annis & ipse puer esset, omnem inun-
 darit Germaniam, & multarum cum interi-
 tu familiarum demerserit. Et licet alicubi
 per leges patrias ad reipublicæ clarum admo-
 veantur & illi, qui vix pubertatis annos at-
 tingerunt: licet etati Principum sæpe detur ve-
 nia: tamen misera sunt puerorum imperia*

Polydor.
 lib. 16.
 Æmil.
 l. 9. & 10.
 Æneas
 Sylv. in
 histor.
 Bohem.

C

& fæ-

O R A T I O.

Et foeminarum, quae quidem juniores Princi-
 pes suis Et in gynecais Et in manibus habent,
 Et quocumq; placuerit, detorquent. Electio
 praeterit pueros, nisi aliud extrema fieri cogat
 necessitas, Et viros circumspicit, nec mulier-
 culis dorsum submittit, sed eas cum Telema-
 cho Ulyssis filio curare jubet domum, trahere
 i. i. Odyf. pensa, imperare ancillis, Et verbigerando ad
 satietatem usq; bellagere.

Denique frigidum ajunt esse virtutis stu-
 dium, Et conatus languidulos rei bene geren-
 dae in iis, qui imperium sibi deberi sciunt, qua-
 les cunq; tandem fuerint. Sed in illis acerr-
 mos, qui suae industriae Et alacritati patere vi-
 dent campum latisimum, per quem liberè ad
 honores, Et ad ipsos quoq; principatus, quo-
 rum palma in medio posita, decurrere possint.

Haec rationum momenta, quae electioni
 patrocinari videntur, non omninò sunt de
 nihilo, neq; negari potest eas interdum, prout
 fert hominum, Et locorum, Et temporum, ali-
 arumq; rerum conditio, praponderare. Sed
 interim

interim illas plerunq³ plus habere ponderis, qua prerogativa successionis fidem faciunt, nullus dubito.

Quid enim? An hereditariae successionis consuetudo non omnium prima & antiquissima? At verò casca quæ sunt & vetera, iis quæ nupera & novitia, maximam partem & meliora sunt & veriora.

Quid? Annon ipse DEUS in regno populi Israelitici, quod dubio procul optimè fuit constitutum, cum ab eo, cujus sapientie non est numerus, descriptum fuerit, parentibus & Regibus & Sacerdotibus, si vitæ finem facerent, non nisi filios, si quos haberent, succedere voluit. Hic vero quisnam oculos tollere contra DEUM, & ejus instituta carpere, & soli, quod ajunt, obloqui sine impietatis crimine poterit?

Nihil jam aliis de nationibus dicemus, in quibus uti quæq³ fuit ingeniosior & moderatior, eò lubentius subjicit imperia, quæ à majoribus ad posteros essent devoluta.

C 2

Neque

Psal. 147.
Deut. 17.
2. Sam. 7.
Psal. 89.
Ex. 28. 29.

O R A T I O.

Neq; verò necessum est, ut de virtute liberorum, qui parentes sequuntur in capessendâ republicâ, magnopere solliciti simus. Maxima vis est paterni sanguinis, nec minor educationis liberalis, & exemplorum domesticorum, quæ omnia filiis Principum abundè suppetunt. Poetas vocare testes non dubito, cum plerumque

Horat.
1. Epist. 2.

Quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non
Plenius & melius Chrysippo & Crantore dicant.

4. Carm.
Od. 4.

Fortes igitur, inquit Horatius, creantur fortibus & bonis

Est in juvenis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columban.
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant.

lib. 3. Æn.

Nec malè apud Virgilium Andromache

Ecquæ jam puero est amissæ cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles
Et pater Æneas & avunculus excitat Hector.

Plut. de
institut.
liber.

Aut licet à paternâ virtute nonnulli disciscant, & si cum claudis habitent, sub-claudi-

claudicare incipiant : tamen facile rationes
iniri, possunt, quibus huic obsistatur incom-
modo, nec minora liberiorib. in rebus publicis,
quarum electio, mala frequenter erumpunt.

Verum longe plus ea habent momenti
quæ subjiciemus.

Principem chariorem habere rempubli-
cam, & curare diligentius certum est, si pro-
priam illam, quæ parentes, quæ seipsum, quæ
liberos capeffat. Nec enim curamus, nisi
τὴν ἰδίαν ἢ τὴν ἀγαθὴν, inquit Aristoteles.

2. Polit.
cap. 2.

Neq; facile patrimonium reipublicæ pro-
fundunt & dilapidant illi Principum, qui
liberis suis, id quod omnes propè faciunt pa-
rentes, rem auctiorem, & patrimonium lucu-
lentiùs relinquere cupiunt.

2. Cor. 12.

Nec efficacius ullum prodigalitatìs, quæ
ferè juniorum Principum, qui plerumque
tardi sunt provisores utilium, ut canit Horat:
in arte, est remedium, quam si ducant uxo-
res, & liberis susceptis curam posteritatis
agere discant.

O R A T I O.

Contra verò qui electionis beneficio rerum
 potiuntur, hoc agunt unum, ut suam ditent
 familiam, & largitionibus aliorum sibi con-
 ciliare benevolentiam, quidquid tandem fiat
 reipublica, semper conantur. Villis & præ-
 diis moriones & abjectissimos homines do-
 nant, præfecturas integras distribuunt parasi-
 tis, vendunt oppida, provincias abalienant,
 & prorsus idem habent animi, quod in cura
 rei familiaris illi, qui sciunt heredes, quorum
 fletus sub personâ risus, ultima post fata se ha-
 bituros. Et quidem hac publicorum in bono-
 rum dissipatione pessimus quisq; plurimum,
 uti jam diximus, intercipit, sed boni qui sunt,
 cum Sigismundi Imperatoris ministro aulico
 fortunam eandem experiuntur, & optione
 duos inter loculos seu capsulas ejusdem & for-
 ma & magnitudinis factâ, quod tamen rarò
 fit, plerumq; omittunt aurum, & plumbum
 arripiunt.

Publ.
Mim.

Phil. in
libr. 5.
Chron.

Quin & hac successionis non levis commo-
 ditas est, quod variores in illâ turba sunt, &
 minor

O R A T I O.

minor rerum confusio: cum legitimos heredes
excludere sit difficilimum propter & juris,
quod habent, manifestam aequitatem, & sub-
ditorum innatam benevolentiam, & extero-
rum, qui suam rem agi putant, si proximus
ardeat paries, certissimas suffragationes. In
electione verò Deus bone, quoties illi dissi-
dent, quibus est jus & potestas creandi novi
Principis? quoties plures & designantur si-
mul & inaugurantur? quod si fiat, diversas
in partes omnis abit respublica, & bella nas-
cuntur civilia, in quibus omnium malorum
ideam esse non inscitè veteres dixere. Hæc si
cui minus credibilia videntur, is saltem ani-
mo & cogitatione sua regrediatur ad illa tem-
pora, quæ Henricum quartum, & Rodol-
phum Sævum, Ludovicum Bavarum, &
Fridericum Austriacum de imperio inter se
acerrimè digladiantes viderunt, & certò vel
pedibus nostram in sententiam iturus est.

Præterea (paucis enim multa dicere cona-
mur) in successione multò minus est conspira-
tionum

Hor. li. i.
Epist. 18.

Thucyd.

Helmold
& Ursper-
gens.
Egnatius

tionum & insidiarum contra Principes, qui sunt cum imperio, quam in electione. Certus enim in illa successor est, qui has molitiones ulciscitur, nec quisquam parentes facile seu virtute fiat illud, seu dolo petierit, quorum injurias liberos quondam esse vindicatu- ros jam animo precipit. Unde quidem haud in- elegans est Græcorum versiculus:

Erasm.
adag.

Νήπιος ὅς πατέρα κτείνας παῖδας κατὰλείπει.

Est fatuus cæsis natis qui patre pepercit: quo cum & illud convenire videtur, quod extat Esaiæ cap. xv. de radice serpentis egredietur basiliscus, & semen ejus erit Draco volans ignitus. Non itaq; classes, inquit Tacitus l. iv. historiarum, non legiones perinde firma impe- rij munimenta sunt, quàm numerus liberorū.

Neq; prætereundum & hoc videtur, quod ferè semper major succedentium auctoritas, quàm eorum, qui in ordine quondam infe- riore vixerunt, & eos habuere sodales, quibus jam imperant. Nemo prudentum est, qui non probet illum quaternionem, in qua res &
optima

O R A T I O.

optima & pessima *αὐτοῦ* quadam insolita & nodo ferè Herculeo nectuntur: Veritas odium parit, felicitas superbiam & fastum, securitas periculum, familiaritas contemptum. Auctoritatè verò instar esse pile seu columnæ, quæ omnem fulcit & sustinet rempublicam, nemo saniorum est qui nesciat.

Insuper & hoc in vulgus quoq; notum est, diligentius ad principatum operà Parentum & Præceptorum eos institui, quos Principes olim esse futuros cognitum habemus & exploratum. Quis enim certo sibi fine præstituto media, quibus eò deferatur, non sollicitè querat? Artem quam olim facturi sumus, quis studiosè non discat? Quis rem aliquando moderaturus publicam ejus tenere clavum non assuescat. At illi, quorum incerta quondam conditio & fortuna, non habent metam unam ad quam rectà contendant, sed temerè quasi vagantur, & ita virtutes sibi nec *δεξιὰς* nec *πεῖραρχιὰς*, quæ nota melioris sint, & acuratiores parare possunt.

D

Adde

Adde quod inter regna, qua sequuntur
 obitus & excessus Principum, antequam
 novi consentientibus civium suffragiis deli-
 gantur, plena sunt anxietas & turbatum, nec
 absimilia corporum, in quibus humores vitiosi
 ab externis irritati causis & commoti effe-
 vescere, inq; morbos erumpere gravissimos in-
 cipiunt. In regno Ægyptio Mamaluchorum,
 quod ante centum jam annos delevit Selymus
 primus Turcorum Imperator, si vivere Sul-
 tanus, quem regis habebant loco, desisset, mi-
 lites impune rapiebant bona civium, & caedi-
 bus ac stupris miscebant omnia, nec modus &
 finis horum erat malorum, priusquam novus
 Princeps in prioris locum substitueretur. Hoc
 periculum ut Poloni declinent, interregni
 tempore pœnas duplo majores quam alias à
 nocentibus sumere consueverunt. Certè post
 interitum Friderici secundi per annos illos vi-
 ginti duos, quibus sine capite nostrum fuit im-
 perium, eò res per omnem ferè Germaniam
 redijt, efferà quadam & insolitâ Nobilitatis
 licen-

Bodin.
 lib. 6. c. 4.

licentiâ, ut à latronibus omnes obsiderentur
 via, præsertim quâ mercatoribus eundum, &
 innumera ferè prædonum receptacula editio-
 rib. in locis excitarentur: ut nihil de contemptu
 legum, & juris obsolescentis interitu, nihil
 aliis de malis quæ fruticari solent, si exulare
 cœperit justitia, dicamus.

Parum his à furoribus (quid enim alteri-
 us nominis faciam huic belluina feritati?) est
 periculi in hereditariâ successione, cum Pa-
 rens liberis rerum gubernacula de manibus
 quasi in manus tradat, haud aliter, quàm in
 λαμπάδοφορία, seu δαδρχία is, qui currendo jam fef-
 sus est, illi, qui proximè suis inheret vestigiis,
 nemine interveniente facem porrigit, & loco
 cedit.

Sunt & alia electionis incommoda, quæ
 optabiliorem reddunt successionem. Asperius
 nihil est humili cum surgit in altum, inquit
 Poëta: & Salomon in proverbis: Per tria
 movetur terra, & quartum ferre non potest:
 per servum, cum regnare cœperit, per stultum,



si saturatus fuerit, per odiosam mulierem
in matrimonio, & per ancillam heredem,
dominae suae.

Nihil itaq; pro-
tritum magis & consuetum, quam eos, qui
ab infimâ fortunâ summos ad honores eluctati
sunt, efferrî animis & insolescere, quod fit in
rebus secundis, aliosq; contemtim habere, quod
animi luxuriantis est delirium, & deniq; vio-
lenti à fraudibus, & à dolosa tyrannide qua
fastus sunt pedisequa, sibi temperare non
posse.

At verò qui ab ineunte statim aetate
omnium rerum copia & honoribus affluunt, il-
lorum usurpatione cristas haud erigunt, su-
percilia non tollunt, altos gerere spiritus non
incipiunt, & in modum cera multò facilius
tractari possunt & moliri, quam homines illi
novi, qui suam concoquere felicitatem non
possunt, sed rebus ad nutum fluentibus diri-
gère & indurescere constantia & sortitudinis
esse ducunt.

Est & hoc in electione periculi; ne Prin-
ceps

O R A T I O .

ceps imperii liberis suis firmandi causa patria libertatem opprimat, que consilia multas apud nationes agitari solita, vel rem tandem convellunt publicam, vel potentissimas familias, si in nervum erumpant hi conatus, à summo honorum fastigio ad contemptus & infelicitatis infimam usq; sentinam non sine plurimorum, qui se harum molitionum præbent ministros precipiti ruinâ dejiciunt. Nihil harum insidiarum in successione, nihil machinationum, nihil artium megaricarum: quibus arietibus jam diu nostram quoq; feriri & pulsari Germaniam, sunt qui suspicantur. Verum nostris tabellis nec absolutionis nec condemnationis literas inscribimus, sed quod in rebus ignotis fieri solet, vetus illud, non liquet, pronunciamus.

Deniq; si legendus Princeps, aut civis regno præficietur, aut peregrinus.

D 3

Si

Ascôn.
Cicer. Li-
vius pas-
sim,

Deut. 17.

Si civis, ambitu certabitur, & plus affectus
& respectus quàm judicij sincerioris habebi-
tur ratio. Si peregrinus, novam gentem, no-
vas leges, novos mores introducet: quæ ut evi-
tentur pericula, DEUS Israëlitis non nisi Is-
raëlitam imperare voluit.

Carolus Quintus natione Germanus erat,
patriâ Gaudaviensis, & tamen cum fœdus
Schmalcaldicum dissolutum cuperet, Hispa-
nos immisit in Germaniam, qui tantum no-
bis & detrimenti dederunt, & attulerunt
dedecoris non suâ quidem virtute, sed per oc-
casionem divisa varias in factiones Germa-
niæ, ut veniâ digni videantur omnes illi, qui
cum Belgis fuscis Iberos animis & oculis non
satis æquis intueri possint, & vindictam sem-
per meditentur.

Quamvis autem successio varias & ipsa
difficultates experiatur, tamen vel minores
sunt, quàm electionis dispendia, vel partim
honestis legibus, partim ordinum quolibet in
regno vigilantia aut prohiberi aut leniri faci-
le possunt. Ex his

Ex his videre jam licet, auditores, rem non esse ludicram nec leviculam, si Principes liberos procreent masculos, qui οίκων εύλοιοι sunt, & certis olim heredibus, si migrandum alio, suas provincias deferrant.

Eurip. in Iphig. Taur:

Addimus & hoc alterum, quod tamen cum ijs quae dicta cohaeret. Familias Principum, nisi parvi Quirites, quod elegantissime de apiculis ait Virgilius, parentibus sufficiantur, propagari & ab interitu vindicari non posse.

4. Georg.

Principum autem domus seu gentes & familiae si occidant, Diū boni quae tum Iliades malorum subditis metuenda? Cum in Henrico Thuringiae Landgravo, qui Imperator quāmlibet invitus Pontificis Romani jussu factus est, stirps Aurelianensis Comitum Provincialium his in terris defecisset, de Hassiā & Thuringiā, quae unum habuerant Principem è vestigio armis certare & pugnare coeperunt Duces Brabantiae, & Marchiones Misniae vario eventu non sine maximis ha-

Annal. Thuring.

rum

harum regionum, quâ civium ^{servata} quâ
^{servata} nocumentis, idq; tantò liberius, quod
tum Imperatore Germania destitueretur. Et
illam quidem ad atatem, quæ infesta latroci-
niis haud incommode referrî posse mihi videor
illos Ennij versiculos:

Ennius l. Pellitur è medio sapientia, vi geritur res,
8. Annal. Spernitur orator bonus, horridus miles amatur,
Gell. libr. Haud doctis dictis certantes sed maledictis,
20. cap. 9. Miscent inter sese inimicitias agitantes.
Non ex jure manu confertum, sed mage ferro
Rem repetunt regnumque petunt, solidâ vi.

Sed quid opus est vadunt ut illa vetera, quæ
dolere jam desierunt, repetamus. controversia
Juliacensis, quæ jam allicit gentes non vicinas
tantum, sed etiam transmarinas, Et procul
ultra Pyreneos montes disitas, quæ omnes ve-
lut aquila hoc ad cadaver advolant, omnes
hac cadente quercu lignatum eunt, quas sit
datura turbas videmus; quot annis suspensos
habitura successores legitimos, facile prospici-
mus: quàm in Catastrophæ desitura non ig-
noramus: quod tamen si quis nostrum divi-
nare velit, continuo audire cogetur ista Mo-
mi

O R A T I O.

mi nescio cuius : non esse scholasticorum arca-
na Principum scrutari, & effreni linguâ ma-
ximâ cum offensione summorum virorum
evulgare velle.

Non negamus si occulta sint & abstrusa,
quæ eliminari vetant : sed ea quæ sunt in ore
omni populo, quæ à dominis etiam stabulariis
suis cum hac garrulitatis clausulâ, vide ne
cui dixeris, concredita, quæ in tabernis &
tonstrinis jactari solita, quæ mulierculis &
ancillis non incognita, pro ἀπορρητοῖς & mysteriis
venditare, quis est, qui absq; risu syntrusio,
quem vocant, audire possit ?

Quantum itaq; rebus intersit publicis, ut
principibus viris masculi nascantur haredes,
nemo tam & oculis & mente captus est, qui
non intelligat, nemo qui non jure DEO gra-
tias quasi litari & offerri debere censeat, hoc
ipso die, qui JOHANNEM PHILIP-
PUM, Ducem Saxonix, Julix, Clivix, &
Bergæ, &c. Dominum nostrum clementissi-
mum, & Academia hujus nutritorem beni-
E gnissi-



gnissimum Torga nascentem excepit, & viventium in numerum, maxima cum bonorum omnium gratulatione, transcripsit.

Rationis posterioris explicatio.

In primis verò nostra pietatis est, ut gratos & animis, & verbis, & ipsis deniq; operibus DEO nos praebeamus, quod harum in provinciarum salutem Principem majoribus laudatissimis subnasci voluit, indole generosum, corporis dignitate venustum, ingenio praestantem, & certò quondam id, quod caepit feliciter, religionis purioris tenacem, observantem DEI, amantem subditorum, obedientem legum, Justitiae custodem, virtutis praestitem, flagitiorum vindicem, altorem Ecclesiae, scholarum tutorem, & ut uno verbo dicam omnia, patrem patriae futurum.

Hæc omnia verò, cum ante novendecim annos Princeps nostrer Illustrissimus magno
cum

O R A T I O.

cum Parentum, quorum satis diu sterile fue-
 rat matrimonium, & desiderio, & gaudio
 Torgæ spiritum vitalem haurire cœpisset, ali-
 quot votivis complexus sum versiculis, quos
 hoc repetere loco paucis visum est, & propè si-
 tum contrahentes in lucem denuò proferre,
 quod vobis auditores, cum non multi sint nu-
 mero, haud ingratum fore spero. Nomen
 Principis tum intertexere haud potui, cum
 nondum satis, quodnam ipsi foret imponendū,
 cunstaret. Sic autem habent illi:

Cum lepidum FRIDERICE tibi GUILIELME
 puellum

ANNA MARIA tui consors lectissima lecti
 Perpetuo tecum certans peperisset amore:
 Protinus ingenti fremuit Thuringia plausu;
 Clamat iò Pœan contermina Saxonis ora,
 Et mittens resonas super æthera Misnia voces.
 Dumque parant vario munuscula debita cultu;
 Intercâ cunas agitans Cunina tenelli
 Principis, & faustam nectens operosa corollam;
 E rutæ follis, quæ plectile colligit aurum;
 Incipit, & lætas hilaris cantillat in auras:
 Parve puer, generose puer, puer inclyte salve;
 Saxo Palatino fate sanguine, sanguine Divum.
 Maxima cura patris, cor matris, amorque vetustæ

O R A T I O.

Firma columna domus, patriæ spes unica terræ,
 En tibi multicomam feroserta virentia rutam,
 Ducta per antiquæ tot avos insignia gentis.
 Hæc tibi virtutis Generisque tuique Parentis,
 Officiumque boni certa sub imagine pinget
 Principis, hæc patriæ patrem, velut altera puro
 Quid fieri deceat, Cynosura monebit olympo.

Ruta calens frigusque levans, & sicca per artus
 Humida depascit gelido diffusa liquore,
 Et tremulo faciles in corpore suscitât ignes:
 Haud aliter, tibi, blande puer, pietate Magistrâ
 Et patriæ civisque tui cor amore calefcât.
 Contemptus superûm, patriæ despectus, & ardens
 In cives odium certa dant signa ruinæ;
 Nec nisi quæ rerum prudentia tractat habenas,
 Nec nisi quæ rerum virtus moderatur habenas,
 In sicca statione manent, fugit uda Lyæi
 Castra, fugit pigrâ septas uligine Nymphas.

Ruta nigri madidos abigit sudore veneni
 Serpentes, Lybicosque fugat vel odore Dracones.
 Hæc mustella tibi melior natura ministrat
 Arma, Medusæos quoties hostiliter angues
 Elicit ad pugnam, funestaque prælia misces.
 Tu quoque solliciti proles optata parentis
 Si, quod spero, virum te florida fecerit ætas,
 Finibus à patriis Latias arcebis Echidnas,
 Vipereumque genus, quod haris stabulare, lutoque
 Setigeri gaudet pecoris, lethale venenum
 Faucibus exolidis, olidis è faucibus halans.
 Finibus à patriis victricibus impiger armis
 Bistonios arcebis ovans Scythicosque Chelydros

Necten-

O R A T I O.

Nectentesque vagos inmani tergore gyros
Guttare compresso velut Amphytrionius heros
Extendes mediâ, Deus omina firmet arenâ:

Ruta sali fluidis commista medetur ocellis,
Et visum reparans facit, ut tam cernat acutum,
Quam qui tela Jovis pedibus gerit armiger uncis:
Sic animus mellite tuus, puer omnia norit,
Et circumspiciens vigilantibus omnia lustret
Luminibus, quæ vera fides, totumque per orbem
Didita religio, quid jus sociale, quid æquum,
Quis modus aut ratio patriæ, quid tangat & angat
Seu dolus afflictos, seu vis incognita cives:
Sic quæ cœtilibus vix oppida condita muris
Accipies, solido splendentia marmore linques.

Ruta procul membris agit atra venena, tenaces
Dissipat humores & atrociam tormina solvit.
Scilicet ut primam patriæ moderamina terræ
Cepetis, & Princeps: procul hinc, procul exulet omnis
Improbitas, dirumque nefas, fraudesque dolique,
Et propè quæ toto violentia regnat in orbe.
Ultricesque juvant commissa piacula pœnas.
Nulla manere diu potis est Respublica, nisi sit
In pretio virtus, & pœna nocentibus instet.
Ruta vagos miseræ domat hausta libidinis æstus,
Idaliisque negat juvenilia corpora flammis.
Tu quoque vesanos, puer optime Cypridos ignes
Vindicibus cohibe pœnis, thalami que pudicos
Assere more Patris, ne vim patiantur, honores.

Ruta viret, panditque comas, seu Sirius ardor
Pulverulenta coquat maturis frugibus arva,
Seu tellus sit operta gelu, fluvii que maligno

que

ten-

O R A T I O.

Frigore constiterint: seu nuncia veris hirundo
 Advolet, aut alias hyemis petat in scia terras.
 Hæc eadem fortuna tuæ puer inclyte gentis
 Semper erit, semperque fuit, neque fallor amore,
 Floruit illa decem propè secula, floruit olim
 Relligione, fide, bellis, virtute, triumphis,
 Floret adhuc, ut & omne dehinc florebit in ævum,
 Seu purum nitido fundat jubar æthere Titan,
 Seu ferrugineo vultus obvelet amictu,
 Semper honos; nomenque tui, laudesque manebunt
 Stemmatis, auratas donec pater Albis arenas
 Volvet, & Oceano gelidis miscbitur undis.
 Tuque puer reliquos inter ceu phosphorus alto
 Saxonie proceres virtute micabis olympo.

Hæc cecinit cunas agitans Cœnina tenelli
 Principis, & faustam nectens operosa corollam.

Nos GUILIELME tui Princeps mitissime cives
 Ultra sint, quæcunque canit, quæcunque diserto
 Ad patrias Salæ ripas, & ad Albidos undas
 Turba frequens vatam tibi voverit ore, precamur.

*Et hæc quidem hujus qualiscunq; poemati
 votatum & vaticinia quasi, nec illa vana,
 quod speramus, fuerunt.*

*Quid vero dicemus, auditores, si quis sit,
 qui levitatis arguere nos, & adulationis insi-
 mulare jam audeat? quod ea, quæ dubia &
 incerta (sicut de futuris *ὡς δὲ χρομδρῶν* non est, quod*

citra

O R A T I O.

citra hesitationem affirmare queamus) de
 Principe nostro tam confidenter polliceri no-
 bis haud vereamur: quid his curiosulis re-
 sponsi dabimus? Hic vero non deest, quod re-
 gerere possimus. Principis Illustrissimi mo-
 res & fortunam ex astrorum positu & motu
 quas fatales caeli tabulas in thematum nata-
 litiorum figuris descriptas habent, non colligi-
 mus. Et his de Chaldaeorum artibus quid
 sentiamus, si quis ex nobis quaerat, illum ad
 Utin Homericum ablegabimus, seu potius ad
 Phavorinum Gellianum, cujus dissertationi
 eruditissima nihil addimus aliud, quam illud
 Catonis, qui se mirari dicebat, quod aruspex
 aruspici factus obviam risum continere posset:
 idem his de officiiis, quae tamen propter con-
 cursum plurimarum causarum facile rimam
 invenire possunt, multo verius, si tulisset occa-
 sio, dicturi.

Eadem non inferimus ex habitu filoq; cor-
 poris, & ex oris atq; vultus specie bella in no-
 stro Principe, quam Φυσιγνωμοσύνην & μετωποσκο-

πικόν

l 9. Odyf.
 lib. 14. c. 1.
 Cic. l. 2.
 de divin.

Gell. libr.
I. c. 9.
Noct. At-
tic.

μηδὲν uti non aspernamur neq; reprehendimus
Pythagoricos, qui hac sine ἐξέτασι neminem
disciplinae suae alumnium esse sinebant: ita me-
ritò ridemus eos, qui in facie hominis ad capita
brutorum animantium conferenda miros fa-
ciunt ludos, & si leonina sit leonum, si tauri-
na taurorum, si canina canum, si asinina asi-
norum eos referre mores & ingenia dictitant.
Nubes densiores, quae sparsim feruntur in aë-
re, si quis fixis intueatur oculis, varias qua-
rumlibet rerum & monstrosas quidem finge-
re & animo concipere potest imagines: quod
ipsum & hac in conjectatione sapissimè fieri
multa faciunt, ut certò statuam. Nec quid-
quam frequentius accidere videmus, quàm
animas pulchellas malè in distortis, & defor-
mes benè in venustis corporibus habitare.

Eadem quae de nostro auguramur Princi-
pe non elicimus ex manuum tuberculis, seu
montibus & tumulis, lineis & incisuris aliisque
figuris, quae χειρονομικὰ διαγνώματα suos ad arti-
fices, si tamen hoc merentur nominis, remitti-
mus.

O R A T I O.

mus, & homines miseros suaviter nugari jubemus.

Interim ea quæ de Principis nostri virtutibus & secutura felicitate ominamur, partim ex majoribus & indole generosâ, partim ex educatione liberalissimâ, & prudenti institutione, quibus multa jam probitatis & moderationis signa nec obscura quidem illa respondent, deducimus.

Quamvis autem nulla prope familia Principum, & Regum, ac Imperatorum in Europâ sit, è qua suam ille non trahat originem: tamen viciniora tantum conspectabimur, & saltem è gente Saxonica quâ Patrem, sed Palatinâ & Austriacâ, quâ Matrem, hunc quasi surculum frondescere ostendemus.

Domus Saxonica conditorem habens VVitekindum magnum, cujus posteritas longè lateq; per Galliam, Sabaudiam, & Germaniam imperat, semper tulit Imperatores, Reges, & Principes (uti ceteras mittamus virtutes) magnanimos, graves, & auctoritate summâ

F

cum

cum domi pollentes apud suos, tum exteris apud nationes, quod si ferret tempus, longà serie Marchionum veterum Misnia, & Landgravorum Thuringia, & tandem Ducum Saxonie probare poteramus: sed de his cum alibi satis multa dixerimus, actum non agemus.

Palatini verò Rheni & Duces Bavariae uti Principes semper cauti fuerunt & prudentes ac moderati, ita fortitudine bellicà, quam & Italia quondam, & Germania sub Ludovico Bavaro, & nuper admodum Gallia sub Volfgango Bipontino, & Johanne Casimiro Palatinis sensit, nulli vel genti vel nationi cesserunt.

De Austriacis quorum Imperium à columnis Herculis ortum, & occasum versus ad usque sola terrarum ultima porrigitur, haud injurià dubitaverim, an ullibi locorum clementiores Principes, uti quidem ipsorum fert natura, & mitiores reperiantur, cujus
rei te-

rei testes omnes eos, qui horum in aulis versati sunt, vocare possum.

Unum saltem hujus placabilitatis exemplum de RODOLPHO Habsburgensi, qui Imperij Majestatem primus hanc in familiam intulit, referre jam placet, quod licet jocularare sit & ridiculum, tamen ex illo conjecturam de iis, quæ graviora, non inscite facere possumus. Is igitur aliquando cum suis iter faciens in viâ profundâ simul, & angustâ agasonem habebat obvium, qui suis cum jumentis commode nec regredi poterat, nec progredi.

Inclamant hominem satellites, & minitabundi Imperatori jubent cedere: tum ille dicaculus, quò cedam, inquit, o vos mei, cum Imperator totam hanc viam vegrandinâ suo compleat, & omnem prætereundi mihi spem auferat.

Habebat enim Rodolphus, ut omnes Austriaci nunc quoque temporis, nasum aquilinum, & labra pendula.

O R A T I O.

Cuspin.

Hic vero cum magnus oboriretur risus, & Imperatori sciscitanti quod esset rei? tandem hujus nugatoris responsum narraretur: mox ille manu nasum ad alterum viae latus divertens, jam, inquit, mi fili, perge audacter: nasum enim dimovi meum, & viam, quâ exire potes, aperui. Hac Cuspinianus. Da mihi aliarum familiarum Principes: ne vicesimum quidem inter plures dabis, hoc qui probrum impune possit dimittere, qui non stipatores, non canes, non quidquid habeat comitatus hunc in locuteleium incitaturus sit. Viri prudentiores, qui magnis in imperiis omnia DE Inutu & providentiâ temperari subinde cogitant, & rectè quidem, interdum causas querere solent, cur hac ætate nostrâ, quâ virulentissima de religione certamina, quæ & animos, & opes ac vires dissidentium inter se Principum distraxerunt, nihil aliud nisi internecina bella minitantur, DEUS Austriacos potius rerum summa, quàm aliam quandam domum præesse voluerit.

Mibi

O R A T I O.

Mihi verò sicut, & multis aliorum, non aliud videtur esse causa, quàm horum Principum humanitas & mansuetudo, quæ utcunq; Republicæ navem in hoc turbulento acerrimarum dissensionum salo velut anchora quædam firmat, certò vel illis scopulis, vel haustam fluctibus perituram, si alios gubernaculi sui Rectores & Magistros Sirtiretur. Quid verbis opus? si Principes iracundi, capitosi, præcipites, audaculi, temerarij, procaces, & futurorum malorum incuriosi, quales interdum nostra quoq; fert Germania, ad reipublicæ clavum sederent, & in primis si violenta consilia vela nimium tenderent: dudum fecissemus naufragium, & omnia turbis & bellis intestinis veluti brevibus & sortibus quibusdam absorpta perisissent.

Hic vero multi in os mihi contradicent, & oculos me reflectere jubebunt ad Inquisitionem Hispanicam, quæ nihil immanius & sanguinolentius: ad motus Belgicos, in quibus diluvium quoddam sanguinis florentissimas

O R A T I O.

obruit provincias: ad persecutiones, quae in Austria & Styria saepe jam efferbuerunt, floremque multa nobilitatis, & optimorum civium proavitis è bonis miserandum in exilium eiecerunt. Hanc quis optarit clementiam, moderationem probarit, mansuetudinem tantis laudibus extulerit? Verum hæc uti malorum gravissimorum exempla non negamus: quis enim Soli meridiano obloquatur? ita responsi loco, quod sapientibus satis erit futurum, illud Ciceroni redditum oraculum reponimus. Sic enim Apollo Delphicus: O te Marce Tulli præstantem omnino & admirabilem virum, si naturam potius Ducem, quàm aliorum opiniones secutus fueris.

Ab his itaque majoribus & patre quidem FRIDERICO VVILHELMO, Duce & Proelectore Saxoniae, quo Principe benigniorem & amantiorem bonarum literarum, ne ipse quidem Sol, qui totius mundi est oculus & omnis lucis vehiculum

repe-

O R A T I O.

reperire possit, cum originem duxerit suam.
 JOHANNES PHILIPPUS Princeps,
 quo de verba jam facimus: certè non magis
 suam per naturam esse degener, & à Paren-
 tum indole & virtute desciscere potest, quàm
 aconitum ex ruta nasci, quàm frugiperda
 salix è cedrò pullulare, quàm ex equis ge-
 nerari asinus, quàm ex leonibus deniq; hinnu-
 lus aut lepusculus procreari.

Hic vero non defuturos sentio, qui con-
 tendent hæc parcius asserenda, & meminisse
 nos debere, sæpissimè ἀνδρῶν ἠρώων τέκνα esse πηματα,
 & optimorum Parentum liberos non rarò
 pessimos, cujus anomalias exempla plurima
 sacra nobis, & prophana literarum monumen-
 ta subministrant.

Fatemur hoc, & lubentes quidem fate-
 mur: sed interim tamen hi posterorum lap-
 sus non tam naturæ sunt maleficia, quàm
 educationis vel negligentioris, vel præpostera
 opera vitiosa.

Erumen-

lo-
m
cle-
ue-
m
pla
blo-
sa-
ora-
phi-
nino
tius
tus
qui-
O,
rin-
um
otius
um
repe-



O R A T I O.

Frumentum, quod diu lectum & multo spectatum labore, sic enim Virgilius, in lolium & steriles avenas propter & telluris & aëris vitia degenerat: vinum limpidissimum, si male curetur, in vappam abit: mella, si in locis calidioribus servantur verminare & formicis scaturire incipiunt: & mirum nobis videbitur, si ingenia nobilissima negligentius habitacitra natura culpam in monstra & portentata velut Circais quibusdam poculis vertuntur? Eleganter Codrus Urceolus in Epigrammâsi:

Sis licet ingenio, clarisque parentibus ortus,
Esse tamen vel sic bestia magna potes.

Adde decus patris, & claros tibi sume propinquos,
Esse tamen vel sic bestia magna potes.

Sint tibi divitiæ, sit larga & munda supellex,
Esse tamen vel sic bestia magna potes.

Denique quidquid eris, nisi sit prudentia tecum,
Magna tamen, dico, bestia semper eris.

*Verum nihil hæc nostrum ad Principem
cujus educatio longè melior sub viris optimis
fuit, & accuratior institutio, quàm ipsius
Achillis, qui in domo Chironis, cum alia quæ
scitu*

O R A T I O.

scitu digna, tum mores habere simplices docebatur.

Euripid.
Iphig.
Aul.

Is igitur à primis, quod dicitur, unguiculis jussu Serenissimorum Tutorum, monitūque Nobilissimorum virorum, quos moribus suis Praefectos habuit, & fidelissimorum Consiliariorum instinctu, & Praceptorum ductu animum ad ea suum appulit omnia, quae DEO gloriosa, ecclesiae salutaria, utilia reipublica, Illustrissima familia honorifica, & deniq; subditis praesidio & solatio futura. Hoc est, ut haec ipsa paullo dicam explicatius; didicit veneri & venerari DEUM, quae pietas & prudentiae mater est, & omnis reliquae virtutis, & certissima felicitatis.

Didicit honorare regem, superioribus morem gerere, legibus parere, observare Parentes, consilia bonorum virorum cupide audire.

Didicit subditos amare suos, & salutem populi legem supremam habere.

G

Didi-

O R A T I O.

Didicit affectus edomare suos, motus
 animorum frangere, cupiditates reprimere,
 perturbationes cohercere, & recte potius ra-
 tioni, cuius est praesse, quam appetitui, cuius
 est obtemperare, imperium deferre, quae
 μετροπάθεια nihil aliud est quam vera virtus
 & Philosophorum καλοκἀγαθία.

Didicit humanitate potius, & comitate
 suos allicere, & tenere cives, quam verbis
 maledicis, & conviciis superbis, iracundis &
 contumeliosis protelare: quod quicumque
 faciunt. Magistratus, austri sunt in flori-
 bus, & in fontibus apri, & dum auctorita-
 tem inconsulto captant, seipsos extremum in
 contemptum & odium adducunt.

Didicit magnifacere bonos viros, &
 reliquos furum manipulos quascunque
 tandem gravitatis, & fidei larvas praese fe-
 rant, vel odisse, vel ex alto despicere.

Didicit

O R A T I O .

Didicit in literarum studiis non hominum ociosorum ^{τερετισματα}, seu clamosa de rebus minutulis jurgia, sed quae vitae & rei publicae regendae necessaria.

Hac igitur inchoasse nostrum videmus Principem, & strenuè jam persequi, neque dubitamus, quin omnem vitam injucundam sibi habiturus sit, si ad hujus curriculi metam, & calcem usque pervenire non liceat.

Ex his omnibus jam intelligere licet, auditores, quod Illustrissimi Principis JOHANNIS PHILIPPI Natalem vicesimum letum & hilarem sumere jubeat pietas, rei postulet aequitas, & publica honestas flagitet; qua de re cum satis multa jam in medium attulisse videar, dicendi finem ut faciam oportet.

G 2

DEUM

O R A T I O.

*DEUM illum regem & Imperatorem
 summum, qui in officinâ suâ prudentiâ omnes
 effingit Magistratus, qui in terris rerum
 potituri sunt, oramus: hunc ut natalem
 deinceps multorum per annorum seriem &
 decursum Illustrissimo Principi felicem, pa-
 triæ salutarem, & Academia nostræ auspica-
 tissimum recurrere jubeat, & præter doctri-
 nâ cœlestis veritatem, & docentium concor-
 diam, hoc gemini nobis largiatur beneficij: ut
 Illustrissimus Princeps, si rerum gubernacula
 tractare cœperit, suam felicitatem salute sub-
 ditorum posteriorem, & subditi salute sua
 Principis felicitatem priorem ducant, quæ
 bona duo si dentur à DEO Reipublicæ, omnia
 quæ illius beandæ, jam data sunt & feliciter
 concessa.*

*Sic igitur Princeps Generose PHILIPPE JO-
 HANNES,*

*Saxonie Princeps, tibi festa genethlia seros
 Ut semper redeant meliora precamur in annos.*

Dii

O R A T I O.

Dii faciant lato tuus ut natalis Olympo
 Surgat, & aeternum puro caput aethere tollat,
 Et veras tibi portet opes, quae pectoris haerent
 In nivei latebris, prudentia, mascula virtus,
 Et placidi subnix a DEO mens conscia recti.
 Ille tuum morbis corpus neget, & tibi vitam.

Limina Nestoreæ producat ad usq; senectæ.
 Ille tibi cumulos multi struat æris & auri,
 Et populos videat late dititionis ovantes
 Imperio gaudere tuo: te maectet honore,
 Et jubeat memores tua dicere facta nepotes.
 Ille domum, blandiq; ferat tibi gaudia quon-
 dam

Conjugij, multaq; ferat nova germina ruta.
 Tu modò fac, nostri te cura paterna Lycei
 Tangat, & hæc fodiat tibi laudis adorea
 pectus,

Tum patriæ mansura salus & gloria terra,

em
nes
um
em
&
pa-
ica-
Eri-
cor-
: ut
cula
sub-
sua
que
nia
riter
Jo-
ns
nos.
Dii



O R A T I O.

Castalis si roret aquis, pluuiisq; sonoris
Finitimos humectet agros: sed laudo, quod
opto
Ut facias, quia sponte facis: DEUS ar-
biter aui
Annuat, & precibus faciles bonus applicet
aures.

D. L. H. G.



od

ar-

icet

III

I

III

I

III

I

III

I

III

I

III

I

III

I

III

I

III

I

III

M 645 G

N. C.



Man Wf 685, 26

ULB Halle 3
002 426 749



V077





n. 66, 21.



O
I
ILLU

D N.
P H I
S A X O
V I Æ, E T
T H U R I N
C O M I T
G I,

I N A
D I

W O L F
P R O

Ty



Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



S

I S
I S
L I
A V I I
N I Æ,
I R.

N S I

M.
C



*g. Altkent. vid.
Hülbn. T. 159.
Fil. Frid. Wilh.
1.*

